



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Quid sit morbus, & cur carceri similis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

Nam, sicut in fidibus, ait Lactantius, cum aliquid aut interceptum, aut relaxatum est, omnis canendi ratio turbatur, & soluitur: ita si in corpore pars aliqua membrorum duxerit vitium, destrui uniuersa, corruptusq; omnibus atq; turbatis, occidere sensum, eamq; mortem vocari, necesse est. si enim totæ Res publicæ extinguuntur per morbos populares pestesque, à quibus interdum tanta fit strages hominum, vt vix vnus, immò nullus etiam inueniatur in loco incolumis, vel reliquus incola, quantò magis hominis vnus corpus à morbis sternetur? Neque opus est malè affici corpus vniersum: solum caput doleat, iam cuncta langueant cetera membra. Immò capite sano, & vegetis membris reliquis omnibus, si vel extremum pedem podagra mordeat, mox incipiet totus homo claudicare, immò non sine lamentis decumbere. Quid ita? nempe, vt Plotinus ait: *Morbus nobis molestus est, quia nihil in nobis habet domesticum, sed est penitus alienus: propterea manifestior incidit; quia maximè diuersus nobis occurrit. Qua verò nostra, nosq; ipsi sunt, vel absq; manifesto sensu nobis insunt.*

Socrates interrogatus, quid morbus esset? respondit: *Perturbatio corporis.* Apud Gellium, *Cacilius Sabinus, in libro, quem de edicto adilium Curulium composuit, Labeonem refert, quid esset morbus, hisce verbis definiisse: Morbus est habitus cuiusq; corporis contra naturam, qui usum eius facit deteriozem. Sed morbum alias in toto corpore accidere dicit, alias in parte corporis, totum corporis morbum esse, veluti phthisis, aut febris; partis autem, veluti cacitas, aut pedis debilitas.* quemadmodum enim alij, qui rapiuntur solo pede, vel manu ad catastram, in publico loco, ac libero aëre, alligantur; alij autem omnibus membris vincuntur, & manicis pedicisq; quin & ferreo circulo lumbis colloque injectis vndique constricti, toto corpore in carceres compinguntur; ita nonnullis satis est vna parte malè affici; alij autem vbique sentiunt debilitatem & dolorem, vt quasi arcta custodia circumdati videantur. Quod de se dicebat Iob ad Dominum: *Numquid mare ego sum, aut cæcis, quia circumdedisti me carcere? Quo carcere? toto cumulo morborum.* Numquam Iob tam tumidus erat, quàm mare; numquàm ita fremebat, numquam ita aestuabat ira, numquam ita impatientia agebatur, aut remugiebat; neque ita immanis & fauus

Lactant. lib. de opificio Dei, cap. 16.

Plotin. Enn. 5. lib. 8. c. 11.

II.

Stob. serm. 98. Gell. lib. 4. Noct. Attic. cap. 2.

Iob. 7. ra.

Gen. 1. 9.

erat, vt cetus; & tamen, sicut mare tunc, quando Mundi Creator dixit: *Congregentur aqua in locum unum, & appareat arida*, & quando *aquarum congregationem appellauit maria*, visus est, coniecisse mare in carcerem, atque illi pedes & brachia constrinxisse, ne liberè vagaretur, & obuia quæque vastaret; ita Iobum DEVS, in teterrimum malorum atque cruciatuum carcerem, velut mare fremens atque superbum, detruxit; & vt ne alijs noceret, in eum statum coniecit, dolorum vinculo manibus pedibusque ligatis, in quo nocentes & vltimo supplicio damnati detinentur. Si enim carcer definitur, *undecumq; exire prohibemur*: rectè morbi carceribus comparantur. Siquidem DEVS nos in morbum, morbus in lectum conijcit. Enimuerò dolores aliaque morborum symptomata, in diuinis litteris solent funes & vincula nominari. *Circumdederunt me dolores* (D. Hieronymus legit *funes*) *mortis*. Et iterum: *dolores* (funes) *inferni circumdederunt me: praoccupauerunt me laquei mortis*. Vnde & Iob queritur, se morbis velut compedibus vinctum: *Posuisti in neruo pedem meum*.

Seruius lib. 1.
& 5. AEncid.

Psal. 15. 17.

Psal. 114. 3.

Iob. 13. 27.

Ioan. 4. 5.

Et S. Ioannes quoque de Probatica piscina, quasi de carcere & domo vinctorum loquitur: *Qui prior descendisses in piscinam, sanus fiebat, à quacumq; detinebatur* (quasi comprehensus & alligatus) *infirmis*. Immo Christus ipse mulieri, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum aspicere, ait: *Mulier, dimissa es* (quasi è carcere & vinculis) *ab infirmitate tua*. Et rursus. *Hanc filiam Abrahæ, quam alligauit* (velut vinculis) *satanas, non oportuit solui à vinculo isto?* Et si autem *carcerem ad continendos homines, non ad puniendos* *haberi jura decernunt*, tamen morbi, & carceres sunt grauissimi, & poenæ sanè luculentæ. Quare nemo est, si sensum æstimes, qui morbos non cupiat effugere, ijque velut acerbissimis vinculis liberari.

Luc. 13. 12. 16.

Ulpian. L.
Aur. damnū.
8. §. solent.
D. de poen.

III. Quemadmodum autem vel vna catena teneri est molestum, ita multis vinculis circumdari longè molestissimum. Pari pacto satis graue foret, si ab vno genere morborum humana natura infestaretur, nunc à tot oppugnari cateruis pestium, multò est grauissimum. Nihil est in homine, quod non possit ægrotare. A capite vsque ad calcem eum consideremus, & videbimus, verè dici:

A planta